pradicti regum Franciae et Neapolitani, Venetorum, Florentinorum et Senensium, et (*post* zu ergänzen?) illos unus miles ordinis sancti Joannis Hierosolimitan. et alius custodiam habens Turci nostri ambo fratres R. D. cardinalis Montisregalis et cum eis D. Georgius Bucciardus scriptor apostolicus, cum oratore Turci praedicti alias missus et modo rediens et post eos aliae gentes armorum capitaneorum nostrorum; hoc ordine equitavimus usque ad palatium s. Martinelli, ubi actis ipsis per oratorem Turci gratiis more consueto recesserunt omnes. Venit autem Turci orator praedictus cum servitoribus et sclavis numero decem vel circa et D. Georgius praedictus in comitiva sua existens cum totidem. Venerunt autem Anconam per mare ex Turchia sine equis et inde significato S^{mo} D. N. adventu eorum Sanctitas sua misit oratori praedicto equos pro se et suis necessarios, et D. archiepiscopus Arelatensis alios equos pro D. Georgio praefato nepote suo et suis servitoribus. Is orator Turci venit pro solutione summae pecuniarum Papae ex conventionem debitae ob Turci nostri detentionem.

Feria quarta, 12 Junii incoepto secreto consistorio vocati et intromissi fuerunt omnes oratores principum, regum et potentatum, quibus id heri fuerat intimatum, et praelati palatii oratores post episcopos et presbiteros et praelati post diaconos cardinales steterunt. Tum intromissus est Chasmipeeg, orator magni Turci, quem associarunt capitaneus ecclesiae a dextris et dominus Pisauri a sinistris usque ad introitum consistorii, quod non fuit ordinatum more solito in modum circuli sed recta linea; episcopi et presbiteri a dextris et diaconi cardinales a sinistris Papae residebant. Ab introitu consistorii solus orator ivit ad Pontificem D. Georgio Bucciardo interprete suo et me ipsum associante. Is orator neque introitu neque coram pontifice, pontifici genu vel caput flexit, sed erectus et tectus semper incessit et pontificis manum atque vestem osculatus est; deinde stans coram pontifice dixit: Saltan Baiazeit imperatorem imperatorum, dominum Europae et Asiae salutes

sibi mittere et datis S^{mo} D. N. literis [fol. 62] retrocessit usque extra banchettos cardinalium, ubi petebat sibi dari banchettum ad sedendum, sed me sibi respondente id non esse de more cuiquam etiam imperatoris oratori fieri, sedit in terram more Turcorum et sartorum nostrorum. Demetrius legit literas, quae in graeco scriptae erant, et in latinum interpretatae, quam interpretationem etiam legit idem Demetrius basilicae principis apostolorum beneficiatus post originalium literarum lecturam, genuflexus extra consistorium iuxta R. D. cardinalem Senensem, retro quem etiam stabant supra omnes praelatos capitaneus ecclesiae, dux Sorae, D. Pisauri et capitaneus palatii de speciali mandato Papae per me ibidem locatus. Finita lectura literarum et interpretatione earum S^{mus} D. N. interrogavit oratorem praedictum, si haberet aut vellet aliqua dicere, qui sedens ut supra dixi, per Georgium Bucciardum interpretem suum iuxta ipsum genuflexum dixit: Imperatorem suum et principem salvum dicere et plurimum gavisum esse de eius promotione ad huiusmodi dignitatem, commendare sibi fratrem suum dilectum, quod eius bonam custodiam habere velit ac ipsum bene tractare, ita quod nihil ei deficiat, ac orare, quod ipse orator eundem fratrem Turci visitare possit, et munera allata sibi praesentare, et quantocius expeditus ad principem suum redire valeat, ut idem princeps ab eo domini nostri valetudinem intelligat, quae praedicta idem orator non simul, sed successive per interpretem suum praedictum exposuit, videlicet primo articulo interpreti dicto interpres illum S^{mo} D. N. exposuit, deinde secundo sibi per oratorem exposito eundem S^{mo} D. N. declaravit et sic usque ad finem. Omnibus expositis S^{mus} D. N. respondit convenienter ad omnia ac ipsi oratori licentiam dedit fratrem Turci visitandi, et quod ipsum oratorem in privata audientia audire vellet, deinde quantocitius expedire. Stabant post oratorem praedictum competenti spatium, qui post ipsum intraverant sex sui socii servitores sive sclavi et sex parafrenarii S^{mi} D. N., singuli pecias brucati et veluti diversorum colorum, Thabi cameloti etiam diversorum co-

lorum numero 20 vel circa in manibus et super brachiis tenentes, quas videns S^{mus} D. N. et existimans oratorem illas sibi donaturum ac illas offerre oblivioni tradidisse, egit eidem oratori gratias pro munere ipso.

Tum surrexit orator ipse et cubicularii receperunt pecias praedictas a portitoribus eorum et exivit orator cum suis familiaribus et cum eo capitaneus ecclesiae, dominus Pisauri et barones nostri, qui eo ordine quo venerant ipsum associarunt usque ad s. Martinellum. A palatio Papae usque ad s. Martinellum praedictum steterunt hinc et inde gentes armigerae, et circa oratorem incedebant usque ad secundam aulam palatii pedites cum runconibus et inde etiam usque ad s. Martinellum praedictum redierunt praecedentibus tubicinis et aliis sonatoribus. Ante hospitium s. Martinelli orator egit capitaneo et Pisauri domino gratias et aliis ex more, qui recesserunt et orator intravit. Literae quas orator praefatus praesentavit, scriptae erant in carta [fol. 63] bambasina, hinc et inde planata, plicata et oblonga omnino in forma minutae sine sigillo aut aliqua subscriptione, sed in capite picta erat ex coloribus et auro quaedam forma unius magnae literae.

Eadem die Ill. D. Joannes Sfortia Cotignolae comes etc. Pisauri dominus desponsavit ac in suam uxorem legitimam sumpsit dominam Lucretiam Borgiam filiam Papae, virginem in XI vel circa suae aetatis anno constitutam, (1) hoc ordine: Parata fuit magna aula nova ac omnes camerae illam sequentes, prima camera dumtaxat dempta, pannis et aulaeis et de veluto ornatissimae. In capite aulae ad dextram intrantis paratum fuit solium ex quatuor gradibus per latitudinem aulae et a muro ad dextram intrantis versus aulam per tres cannas vel circa ubi ascendebatur per duos gradus, in quorum superiore erat planum de uno muro ad alium, latitudinis duarum cannarum vel circa,

(1) Lucrezia war bereits 13 Jahre alt, geboren am 18. April 1480. Vgl. Gregorovius, Lucrezia Borgia S. 13 und Anhang der Documente Nr. 4 S. 14, 15.

tum duo alii gradus et ibi aliud planum a tribus lateribus muros habens. In medio illius plani iuxta murum posita fuit sedes Papae eminens, qua in publicis consistoriis uti consuevit, postergale habens de brucato, et ad dextram sedis Papae quinque sedes camerales cum spaliis et veluto cremesino viridi et coelesti et totidem ad sinistram; in plano vero inferiore iuxta murum inter duas fenestras paratae fuerunt duae aliae sedes camerales, praedictis decem in forma similes ex brucato aureo postergale habentes etiam de brucato, sed strictius alio, quod retro sedem Papae positum erat et ambo haec plana tapetis strata erant et in terram in primo plano intrantis ante sedem Papae et illas duas inter fenestras circiter centum pulvinaria sive cussini de veluto diversorum colorum in terra posita. In prima camera prope aulam praedictam ad sinistram intrantis in medio iuxta murum contra fenestras parata fuit alia sedes Papae cum duobus scabellis sive gradibus ante, et a dextris quinque scabella veluto coperta et totidem similia a sinistris. Porta aulae praedictae pro medietate tantum aperiebatur, ab alia medietate a dextris videlicet intrantis iuxta murum factus fuit ascensus per gradus ad solium ut supra dixi ordinatum. Et hic intrabant Romani cives mulieres et alii ad has nuptias vocati, descendentes de solio praedicto, et inde ad aulam per omnes cameras usque ad ultimam euntes ibi exspectarunt Pontificis praesentiam. Don Joannes Borgia Dux Gandiae filius Papae, Lucretiae sponsae frater germanus de mandato S^{mi} D. N. Papae adduxit eandem Lucretiam sponsam sororem suam ex domo R^{mi} D. cardinalis S. Mariae in porticu, quam una cum D. Julia matertera sua inhabitat, usque ad ultimam cameram ex supradictis, a sinistris eiusdem Lucretiae incedens, cuius Lucretiae vestis caudam portabat quaedam puella nigra; sequebatur Lucretiam D. Baptistina D. Theodorinae filiae felicis record. Innocentii papae VIII, cuius [fol. 64] vestis etiam caudam portavit alia puella nigra. Hanc sequebatur D. Julia de Farnesis et hanc multae mulieres romanae numero CL vel circa. Papa intelligens eas

venisse venit per loca supra portam palatii per cameras praedictas usque ad primam cameram iuxta aulam supra-dictam, ubi sedit in sede sibi parata praedicta; ipso tamen mulieres praedictas pertranseunte, nulla etiam me eas admonente genuflexit, dempta filia cum paucissimis aliis propioribus sibi existentibus. Papa erat in rochetto et capucino de cremesino raso et cum eo fuerunt decem cardinales videlicet s. Clementis, Parmensis s. Anastasiae, Montisregalis et Ursinus presbyteri; S. Georgii, Sabellis, Columna, vicecancellarius et s. Severini diaconi in eorum cappis, quorum quinque presbyteri a dextris Papae et quinque diaconi a sinistris Papae in sedibus pro eis ibidem paratis residerunt. Accesserunt tunc ad Pontificem dux filius Papae cum sponsa sorore sua et post eam omnes mulieres supradictae singulae pedem Papae deosculantes et ad dexteram Papae se locantes, demptis filio et filia Papae cum paucis principalioribus, quae manserunt continue iuxta Papam genuflexae. A sinistris Papae iuxta murum stabant R. D. Caesar electus Valentinus etiam filius Papae, dominorum Joannis ducis et Lucretiae sponsae frater germanus, capitaneus ecclesiae dux Sorae, Nicosiensis, Arelatensis, Ragusinus, Cusentinus, Arborensis archiepiscopi, Concordiensis, Vulterrani, Alexandrinus et multi alii episcopi et prothonotarii, praelati palatii in opposito Papae. Inter praelatos et mulieres stabant capitaneus palatii cum multis baronibus et senatore ac conservatore camerae Urbis ac aliis Romanis et Hispanis nobilibus. Deosculato pede per omnes mulieres dominus Pisauri sponsus et domina Lucretia sponsa ad eius sinistram coram Papa super duobus cussinibus ibidem pro eis positis genua flexerunt. Tum accessit D. Camillus de Benimbene civis Romanus tamquam notarius et competenti voce dixit vulgari sermone:

Illustre signore! Credo V. S^{ria} havere in recente memoria el contratto fatto tra la illustre madonna Lucretia Borgia qui presente et ms. Nicolao vostro procuratore in vostro nome supra il contratto matrimoniale et dote et

altre cose in esso contratto contenute; (1) pertanto non mi par necessario al presente repeterlo. Siate vui contento de acceptare et promettere de osservare esso contratto et a ciò obligarvi secondo la forma et parole di esso contratto? Respondit sponsus: L'ho molto bene in memoria, et così lo accetto et prometto di osservarlo et obligo me etc. factis scripturis iurans et obligans se etc. Ad quod idem D. Camillus vocavit et rogavit in testes RR. DD. cardinales et alios ibi praesentes interesse non habentes. Tum dictus D. Camillus notarius dixit eidem Domino Pisauri: Illustre signore, siate vui contento di pigliare et pigliate per vostra legitima sposa et mogliere la illustre madonna [fol. 65] Lucretia Borgia qui presente et promettete trattarla come vostra legittima donna et moglie. Respondit: Voglio et de buona voglia. Tunc dixit idem notarius sponsae: Et vui illustre madonna Lucretia volete vui pigliare per vostro legittimo sposo et marito lo illustre Signore Joanne Sfortia Conte etc. qui presente, et trattarlo come vostro marito etc. Respondit ipsa ad primam huiusmodi interrogationem. Voglio (2). Tunc accessit ante pontificem R. in Christo pater D. Leonellus episcopus Concordiensis et genuflexus ante sponsum et sponsam praedictos imposuit annulum, quem sponsus obtulit annulari digito sinistrae manus sponsae et alium annulum imposuit alteri digito eiusdem manus; interim magnifico D. Nicolao Comite Pitiliani capitaneo generali S. R. E. ense nudum super capita sponsi et sponsae tenente, quem tenere incoepit, cum episcopus annulum sponsae immitteret et dimisit annulis impositis. Iis sic gestis praefatus D. Camillus notarius re-

(1) Derselbe ist als «Entwurf des Ehevertrags zwischen Lucrezia Borgia und Giovanni Sforza», 2 Februar 1493 abgedruckt bei Gregorovius, Lucrezia Borgia, Anhang der Documente nr. 9 S. 34 ff.

(2) Vgl. hierzu den Bericht Burchards über die Heirath der oben genannten Baptistina, die das erste Mal auf diese Frage nicht antwortete, sed replicatis per ipsum archiepiscopum eidem verbis respondit: Voglio. (Thuasne I, 488).

quisivit R^{mo} DD. cardinales et alios praelatos praesentes, interesse non habentes in testes contractus celebrandi (!). Tum praefatus D. Episcopus Concordiensis stans in loco convenienti iuxta papam et sponsum ac sponsam praedictos adhuc genuflexos habuit brevem bene compositam orationem de sacramento matrimonii. Quo facto S^{mo} D. N. vocari ante se fecit D. Nicolaum de Saiano utriusque iuris doctorem civem Pisauriensem et praefati D. Pisauriensis in urbe Romana procuratorem et oratorem, quem genuflexum creavit militem s. Petri et in fine insignia militiae sibi donavit. Interim omnes mulieres, quae in dicta camera erant sponsam sequentes, quam dux Gandiae eius frater germanus a sinistris associabat, intrarunt primam aulam et ibidem in plano iuxta solium parato sederunt, sponso et sponsa in suis sedibus pro ipsis paratis sedentibus, quos pontifex creato milite praedicto est sequutus, et sedit in sede sibi in solio parata, quo sedente venerunt quidam scutiferi R^{mi} cardinalis de Columna quatuor vel circa Romam (!) et quandam inventivam de amore per eos compositam recitarunt vestibus et pellibus more gentilium induti, quo facto duo filii magistri Andreae scolam in Urbe tenentis cum pluribus eorum sociis vestiti etiam gentilium more recitarunt quandam comediam tanta facundia, quod ab omnibus plurimum laudabatur. Hoc facto apportata fuit collatio diversarum confectionum, marzapanum, fructuum ex confectionibus compositorum et diversorum generum vina in bacilibus et tazeis circiter ducentum vel circa. Cubicularii et scutiferi sibi invicem subsequentes et singuli singulas mappulas ad colla portantes ibant primi ad Papam et cardinales, sequentes ad sponsum sponsam et mulieres, alii ad praelatos et alios et in fine populo confectiones proiciebant in tantum, quod credo ultra centum libras fuisse pedibus pistatas et conculcatas confectionum proictarum [fol. 66]. Collatione facta sponsus et sponsa cum duce fratre suo et mulieribus exiverunt per portam aulae praedictae ad sinistram Papae et iverunt ad domum R^{mi} D. cardinalis S. Mariae in porticu habitationis sponsae, post

quorum recessum Papa rediit ad cameram suam et cum eo cardinales supradicti. In sero in aula Pontificum Papa dedit coenam sponso et sponsae et multis mulieribus cui etiam interfuerunt quatuor ex supradictis cardinalibus.

Dominica 16. mensis Junii, intraturo hodie post horam vesperorum magnifico D. Didaco Lopes de Haro milite, serenissimorum regis et reginae Hispaniarum oratore ex Hispania misso ad praestandam obedientiam et S^{mo} D. N. Alexandro papae sexto et cum eo R^{dis} in Christo patribus DD. Gundisalvo electo Tarraconensi Urbis gubernatore, Bernardino Cartaginensi et Joanne Pacensi episcopis, regis et reginae eorundem etiam oratoribus in urbe residentibus, qui tamen praefato D. Didaco Lopes usque Viterbium venerunt obviam (1) S^{mus} D. N. misit obviam dictis oratoribus bono mane usque ad tria vel ultra miliaria R. D. Caesarem electum Valentinum et illustrem D. Joannem Ducem Gandiae filios suos ac ill. D. Joannem Sfortia Pisauri dominum etc. filiae suae maritum cum magna familia et comitiva; medius fuit electus, a dextris suis dux, a sinistris Dominus Pisauri sororius suus, qui oratores supradictos usque ad montem Marium associarunt, ubi ipsi oratores prandium facturi erant quod S^{mus} D. N. id pro eis splendide parari fecerat, quo ipsis oratoribus conductis redierunt ad Urbem electus, dux et dominus Pisauri praefati, S^{mo} D. N. eos in palatio spectante et per diversas fenestras successive, per quas eos redeuntes melius videre poterat, percurrente. Fuerunt etiam in diversis locis in horto domus fontium Milinorum, in qua oratores praedicti pransi sunt, posita tria barilia bono vino plena et panem pro omnibus quibuscunque collationem facere volentibus. Post prandium circa horam 19 incoeperunt venire familiae cardinalium et post eas Papae, oratores praedictos recepturae more consueto, qui descenderunt per viam strictam per prata, ubi

(1) Ihre Abreise von Rom erwähnt Burchard zum 25 Mai 1493, Thuasne II; 74.

familiae cardinalium huiusmodi exspectabant. Responsum recipientibus praelatis dedit D. Didacus sermone Hispanico. Oratorem praecesserunt mulae pulcherrimae, quas tres sui familiares manibus ducebant pedibus suis incedentes. Post familiam Papae videlicet iuxta ecclesiam s. Pelegrini venerunt obviam eisdem oratoribus dux Gandiae et dominus Pisauri, inter quos posui medium D. Didacum, quia Papa sic voluit et ita fieri mihi hodie mandavit [fol. 67], licet sibi dixerim, id non convenire, quod inter duos laicos incederet, sed inter ducem a dextris et unum praelatum palatii a sinistris. Secundum locum habuit electus Tarracoenensis, tertium Cartaginensis et quartum Pacensis episcopi, qui concorditer praefato D. Didaco Lopes tamquam noviter venienti primum locum convenientes dederunt. Incesserunt autem tres praelati praedicti in mantellis suis longis et capuciis magnis in transversum, cum capellis, prout praelati per urbem equitare consueverunt medii inter praelatos palatii a dextris et oratores a sinistris. Dux et dominus Pisauri habuerunt ragatios circiter XL qui equitarunt singulariter unus post alium post scutiferos Papae et ante barones magistro stabuli S^{mi} D. N. mihi referente quod S^{mus} D. N. sic fieri mandavisset. Equitavimus hoc ordine et consueto usque ad domum R^{mi} D. cardinalis de Medicis in campo Florae, in qua dictus D. Didacus hospitandus erat, ubi dimissis dictis oratoribus recesserunt omnes.

Feria quarta 19 dicti mensis Junii fuit publicum consistorium in prima aula palatii apostolici, in quo quatuor oratores regis et reginae Hispaniarum praestiterunt obedientiam nomine eorundem regis et reginae Hispaniarum. Fuit idem ordo inter eos, quem observaverant in eorum introitu ad Urbem; praelati palatii, cubicularii et scutiferi Papae associarunt eos de mandato Papae a palatio in campo Florae habitationis primi inter eos, in quo omnes conve-
nerant, usque ad palatium apostolicum et deinde de palatio apostolico ad idem palatium in campo Florae. Propositae fuerunt tres commissiones; primam proposuit D. Fabianus de Monte, secundam D. Joannes Baptista de S. Severino,

tertiam D. Justinianus advocatus Fisci. Oratores praesentarunt literas credentiales expresse ad praestandum obedientiam in vulgari hispanico scriptas et duo mandata. D. Joannes Lopes electus Perusinus datarius legit primo literas, deinde unum mandatum dumtaxat, aliud non legit ex commissione Papae, dicentis hoc unum sufficere. D. Bern. episcopus Cartaginensis tertius orator fecit orationem bene compositam. Finito consistorio primus orator portavit fimbrias pluvialis Papae, et alia more solito sunt observata.

Feria sexta 28 Junii, vigilia beatorum apostolorum Petri et Pauli fuerunt vesperae papales solemnes in basilica principis apostolorum de Urbe Papa et cardinalibus antiphonas et hymnum intonantibus more solito. Die sequenti festo apostolorum eorundem S^{mus} D. N. celebravit missam solemnem in eadem basilica. R^{mus} D. cardinalis Neapolitanus prior cardinalium fecit assistentiam tam heri in vesperis, quam hodie in Missa. R^{mus} D. cardinalis de Columna dixit evangelium latinum; graecum autem D. Alexander episcopus Archadiensis; epistolam latinam dixit D. Joannes Baptista Bucciardi subdiaconus apostolicus; graecam vero D. Demetrius beneficiatus basilicae supradictae.

[fol. 68] Primam aquam dedit orator Venetorum videlicet D. Andreas Capello; secundam D. Didacus Lopes orator Hispanorum, tertiam senator Urbis, quartam Dominus Pisauri. Missa finita R^{mus} D. cardinalis de Columna, qui evangelium dixerat, publicavit plenarias indulgentias per S^{mm} D. N. concessas. Alia omnia observata sunt more consueto.

Desunt acta trium mensium, et semis, videlicet Julii, Augusti et Septembris, partisque Octobris, ideo etc. (1).

(1) Von der Hand Panvinius, der vielleicht mit ideo etc. ebenso wie bei der Lücke vom 14. Juni bis 2. December 1492 auf das Diarium Infessuras hinweisen wollte (ideo ea supplere curavi ex diario quodam Stephani Infessurae civis Romani, qui chronicum Urbis per haec tempora satis accurate scripsit), ohne aber die betreffenden Stellen, wie es auch dort nicht geschehen, seinem eigenen Manuscripte einzufügen.

[fol. 70] Sabbato 19 mensis Octobris fuit missa publica in capella maiore palatii apostolici apud S. Petrum, quam celebravit R. pater D. episcopus Doliensis Papa praesente pluviali rubeo parato more solito etc. qui et in fine Missae absolvit, cardinalibus et praelatis ac aliis praesentibus. Missa huiusmodi dicta fuit pro anima foel. rec. Friderici III Romanorum imperatoris semper augusti.

Dominica 20 dicti mensis R^{mus} in Christo pater et D. Jo. tituli s. Vitalis presbyter cardinalis de Comitibus vulgari-ter nuncupatus, qui die mercurii proxime preteriti 16. huius mensis fuit in secreto Consistorio tunc per S^{mm} D. N. ha-bito laetus et sanus, Romae in domibus suae solitae resi-dentiae diem clausit extremum in LXXIX suae aetatis anno constitutus. Cardinales non venerunt in domum suam more solito, neque cadaver fuit a praelatis et familiis car-dinalium ad ecclesiam associatum, sed XX intortitiis sine ulla pompa consueta ad ecclesiam conventus beatae Mariae Ara coeli portatum, quia suspitio fuit ipsum ex peste de-functum esse et post eum in 14 diebus obierunt 11 ex suis servitoribus in dicta domo etiam ex peste.

Sabbato 26 dicti mensis Octobris S. D. in Christo pa-ter et dominus noster, dominus Alexander divina provi-dentia Papa sextus pesti inhabitores Urbis adhuc non pa-rum vexanti cedere ac in Viterbium et alia loca se trans-ferre volens bono mane iter arripuit stolam habens at desuper mantum atque cappuccinum rosatia et capellum de cremesino et cum eo quinque R^{mi} DD. cardinales vide-licet: Ursinus, s. Dionysii, Cartaginensis, Ascanius Vice-cancellarius et Lunate.

Corporis Christi sacramentum in equo more solito por-tatum, Crucem Papae immediate sequens, et post ipsum sacramentum sacrista, quem Papa immediate sequebatur inter duos pedites. Cardinales sequebantur Papam et post cardinales alii omnes more consueto incesserunt. Papa fe-cit prandium in Bachano cum tota comitiva sua, quod ma-gnificus D. Gentilis Virginius de Ursinis loci illius domi-nus ibidem parari fecerat. Prandio peracto Papa equitavit

ad Nepe ubi processionaliter receptus fuit consuetis ceremoniis in pontificali et cerimoniali ordinatis et permansit ibi usque ad feriam secundam sequentem expensis R^{mi} D. cardinalis Ascanii Vicecancellarii, qui Papam praevenerat.

Am 28. October begab sich der Papst von Nepi über Ronciglione nach Viterbo; hielt am 20. November seinen Einzug in die Burg von Pitigliano und ging von da am 22. November nach Acquapendente. Wo der Papst vom 3. bis 19. und in den letzten acht Tagen des November sich aufhielt, lässt sich aus dem Diarium nicht ersehen. Am 1. Adventssonntage (1. December) finden wir ihn in Orvieto, am 2. und 3. Sonntage (8. und 15. December) wieder in Viterbo, von wo er über Fiano nach Rom zurückkehrte. Burchard verzeichnet dann noch die kirchlichen Ceremonien bis zum 6. Januar 1494 und schliesst daran den Bericht über die Leichenfeier Friedrichs III:

Superioribus diebus videlicet Sabbati 7 mensis Decembris proxime praeteriti habitae sunt exequiae clarae memoriae Friderici [fol. 78 b] Romanorum imperatoris semper Augusti in civitate Vienna provinciae Austriae in ecclesia cathedrali s. Stephani in qua sepultus est, de quibus exequiis quidam ex servitoribus R^{mi} D. cardinalis scripsit unam cedulam D. Philiberto Naturelli, Ill^{mi} principis D. Philippi Archiducis Austriae Burgundiae etc ducis in Urbe oratori, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Sequuntur nomina principum et oratorum, qui et quo ordine obtulerunt in exequiis clarae memoriae Frederici III Romanorum imperatoris semper augusti in civitate Vienna provinciae Austriae die Sabbati 7 mensis Decembris celebratis anno Domini 1493.

Serenissimus Princeps Maximilianus Romanorum rex semper Augustus.

R^{mus} D. card. Gurensis, cum eo oratores regis Franciae videlicet D. princeps Aurengiae et archiepiscopus Senonensis et magister Richardus de Moisne, non tamen obtulit.

Oratores regis Ungariae et Bohemiae, cum eis orator archiepiscopi Maguntini.

Orator archiepiscopi Coloniensis, cum eo orator archiepiscopi Trevirensis.

Orator comitis palatini, cum eo Albertus dux Saxoniae etc, loco Friderici ducis Saxoniae electoris etc et orator marchionis Brandenburgensis.

Albertus dux Bavariae, cum eo Henricus dux Saxoniae filius Alberti ducis Saxoniae.

Oratores Sigismundi archiducis Austriae, cum eis orator regis Siciliae, ducis Lotharingiae.

Oratores Philippi archiducis Austriae, filii Romanorum regis supradicti, cum eo filius Odoardi regis Angliae.

Ernestus dux de Brunsvick, cum eo orator Ottonis ducis Bavariae.

Oratores Venetorum, cum eis oratores Georgii ducis Bavariae.

Joannes dux de Farger Hungarus, cum eo episcopus Bambergensis.

Hanico dux Bohemus, cum eo oratores Friderici et Sigismundi marchionum Brandeburgensium, episcopus Pataviensis, cum eo orator ducis Sabaudiae, dominus de Montuarant.

Jacobus Marchio Badensis cum eo orator ducis Juliae censis.

Episcopus Vesprimensis et Wiennensis, cum eo orator senioris lantgravii Hassiae.

Episcopus Chiemensis, cum eo orator iunioris lantgravii Hassiae.

Episcopus Secoviensis, cum eo episcopus Wormacensis.

Commendator ordinis Theutonicorum, cum eo orator episcopi Argentinensis.

Abbas de Kempten, cum eo orator episcopi Spirensis.

Commendator ordinis s. Georgii, cum eo episcopus Ratisponensis.

D. Martinus de Polhan, cum eo episcopus Frisingensis.

D. du Fay, cum eo orator episcopi Augustani.

D. de Chievre, cum eo orator comitis Gonciae.

D. de Mechim Danthoin, cum eo orator comitis de Wer-
temberck.

Archiepiscopus Saltzburgensis celebravit primam Mis-
sam videlicet pro defunctis.

Vigilias et Vesperas mortuorum et secundam Missam
videlicet de beata Virgine celebravit episcopus Wiennen-
sis, cui assistebant in officio 22 praelati cum mitris et ba-
culis pastoralibus.

Post (1) praescriptos principes obtulerunt XVI vexilla
patrie subiecte domui Austriae, videlicet pro qualibet pa-
triarum unus nobilis portabat vexillum magnum quem se-
quebantur quinque alii nobiles, quorum unus portabat ga-
leam, alius arma, alius insignia cum scuto, alii duo ducentes
equum magnum vestitum sive coopertum panno nigro a
capite usque ad pedes.

Postremo sequebatur Imperii ferens vexillum, aquilam,
galeam, diadema, mundum sive pomum, sceptrum, gladium,
heraldus et equus maximus. Aderant et multi alii comites
et barones et potentes, quos enumerare longum esset.

Sequuntur XVI patriae de quibus supra fit mentio:

Imperium, Hungaria, Austria nova, Austria antiqua,
Stiria, Karintia, Carniola, Aspurch, Tirolis, Alsacia, Bur-
gaun, Marchionatus Viennensis, Pontus Naonis, Phiert, comi-
tatus de Ferrera, Brisachum, Patria ultra Onasum flumen,
ubi est Lintz.

Sabbato, 11 mensis Januarii.... Thuasne II S. 86.

(1) Von hier an bei Thuasne II, 77.